



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita Cuiusdam Stylitæ. Capvt. CXXIX.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

an cum Patriarchis adnumeratus esset. Cum ergo diutius orassem, in extasi effectus sum, aspexi virum nimis speciosum, qui tenens manum dexteram meam, adduxit me in locum quendam illustrem, & gloriosissimum, ostendebatque mihi Ecclesiae doctores. Ego verò circumspectebam, videre quærens, quem cupiebam, magnum Ioannem dilectissimum meum. Cum ergo ostendisset mihi omnes, & vniuscuiusq; proprium nomen expressisset, rursus tenens me per manum, eduxit me foras. Ego autem sequebar illum tristis, quod non vidissem cum patribus, & Ecclesiae magistris beatum Ioannem. Cum itaque egredere, is, qui præerat ianua, apprehendens me dixit mihi: Quid habes, cur tristis es? Nemo vnquam huc ingressus, tristis exiit. Tunc dixi illi: Hæc mihi causa mœroris est, quòd amantissimum me Ioannem Episcopum Constantinopolitanum vnquam cum cæteris doctoribus non vidi. Rursum dixit mihi, Ioannem dicis pœnitentiæ ducem? At ego: Illum sanè. Respondens autem dixit mihi: Ipsum homo in carne viuens videre non potest. Illic enim ² assistit, vbi thronus est Domini.

² *Ecce quomodo anima beatissimi Ioannis est in celo ante thronum Dei.*

Vita Cuiusdam Stylitæ.

C A P V T. CXXIX.

Abbas idem Athanasius narravit nobis, dixisse se narrantem Abbatem Athenogenam Episcopum Petræ, quod in prouincia sua fuerit Stylites quidam, ad quem omnes, qui veniebant, inferius stantes loquebantur, eò quod non haberet scalam. Si quando igitur dixisset illi fra-

li frater: Volo tibi dicere cogitationem: dicebat & ipse illi leni voce: Veni ad gradus columnarum ibarque ipse ad aliam columnarum partem & ita loquebantur mutuo, Stylita quidem superius stante, fratre autem inferius. Cæterorum verò, qui assistebant, nullus ea, quæ dicebantur, audire poterat.

DICEBAT & hoc Abbas Athenogens de eodem Stylita, quod duo seculares se mutuo valde diligentes, pergebant ad eum multis annis ambo simul, & nunquam unus sine altero proficiscentes. Quadam ergo die venit, nesciente socio suo, alter ad illum. Cumque plures horas pulsaret ianuam, noluit illi senex aperire, ita ut ille rædio deuictus reuerteretur. Reuertenti autem occurrit amicus eius, pergens & ipse ad Stylitem, rursusque re-duxit eum secum, ut ambo ingrederentur ad senem: Cum ergo pulsarent ianuam, mandauit senex, ut qui posterior venerat, ingrederetur solus. Ingressusque posterior cepit rogare senem, ut & alius introiret. Senex autem dixit ei, se non posse illum suscipere. Perseueranti verò, & per multam horam deprecanti ait senex: Deus illum auersatur, fili, & ego illum suscipere non possum. Cumq; ad propria rediissent, post duos dies ille defunctus est.

Admonitiones Abbatis Athanasij, & mirabilis eius visio.

CAPVT CXXX.

Dicebat idem Abbas Athanasius: Patres nostri continentiam, & paupertatem, ac nuditatem rerum omnium vsque ad mortem seruauerunt; nos autem ventres nostros &

Ec 2

crumē-